



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum pro Illustriss. Metropolitano super absentia praefata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

Inter alia Reuerendiss. Episc. Cremonen. ad cognoscendum super causis absentie Illustriss. Metrop. deputatus, in hanc sententiam retulit.

Relatio Reuerend. Cremonensis Pro absentia Illustriss. Metropolitanani.

Ego Nicolaus Episc. Cremonensis in hoc vj. Concilio deputatus ad iudicandum de facultate absentie Illustriss. Metrop. concessa, refero, me causas absentie præf. Illustriss. & Reuerendiss. Domini Metrop. a Reuerendiss. Episcopo Derthonensi antiquiori Prouincie Episcopo comprobatas, diligenter & mature considerasse, & illas iustas, & legitimas, ac notorie veras ab hac vj. Synodo iudicandas esse.

Quibus auditis Reuerendiss. Patres ita decreuerunt.

Decretum pro Illustriss. Metropolitanano super præfata absentia.

Avdita Reuer. Promotorum instantia, nec non diligenter cognitis & perspectis absentie Illustriss. & Reuerendiss. Metrop. causis, & considerata absentie facultate scripto data a Reuerendiss. D. Episc. Derthonen. antiquiore huius Prouincie suffraganeo, Reuerendiss. Patres facultatem prædictam & absentie causas legitimas esse vnanimi consensu decreuerunt & iudicarunt.

Quoniam non fuit instituti nostri Congregationes omnes, quæ habitæ sūt, hoc loco describere, hæc vt infra de illarum ratione admonere volumus.

Toto hoc Synodali tempore, præterquam festiuis diebus, habitæ sunt Congregationes Reuerendissimorum Episcoporum coram Illustr. Cardinali Metropolitanano; priuata quidem quotidie, mane & vesperi; in quibus semotis omnibus inter sese agebant Episcopi. Congregationes verò publicæ ter in hebdomada habebantur, feria scilicet vj. fer. ij. & fer. iij. ante diem sessionis: in quibus initio liberum erat cuique ingredi, & quæ voluisset proponere, & præsentibus cunctis, vocabantur ordine ab Archidiacono, ex forma iam supradicta, si

qui aliquid proponere vellent.

Postea dimissis omnibus, præter procuratores Episcoporum absentium, Procuratores Capitulorum, & Testes Synodales, ac etiam vicarios Episcoporum præsentium, & si qui alij ex gratia admittebantur, agebatur de negotijs conciliaribus, & publicè proponebatur, quæ inter Patres in priuatis Congregationibus fuerant examinata.

In Congregatione verò fer. iij. diem sessionalem præcedentis, legebantur omnia decreta in priuatis & publicis Congreg. iam proposita, quæ in sessione sequenti erant promulganda.

Singulis diebus, quibus Congreg. habebantur, mane & vesperi habebatur lectio per duos Theologos; mane de disciplina Ecclesiastica, vesperi verò super psalmos: quibus lectionibus familiar. Episcoporum, & alij qui voluissent, intererant.

Eodem tempore, præter Congregationes priuatas Episcoporum, habebantur etiam Congregationes Theologorum, vel Canonistarum, vel de ritibus, & aliæ de quibus supra, super ijs punctis, quæ ei Congregationi examinanda a Patribus vel a Metropolitanano remittebantur.

Sessio tertia & vltima.

IN Nomine Domini. Anno a Natiuitate eiusdem Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo feria iij. vige simo tertio mensis Maij, Indictione decima, Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno vndecimo.

Illustriss. & Reuerendiss. in Christo Pater D. D. Carolus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Prædix, Dei & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis, celebraturus tertiam & vltimam sessionem, Deo benè iuuante, huius Concilij vj. Prouincialis, pro hoc præsentis die in superiori secunda sessione legitimè indictam, hodie horæ decima tabellis publicè propositis pariter indicta & significata, ex ædibus Archiepiscopalibus discedens, ad Basilicam